



Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1682

13. Dies Augusti. Nulli parvus est census, cui magnus est animus. S. Leo.
in appa. Dom.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](#)

630 *Christiani Militis* Augustus.
in hominibus, estrara avis in terris. Proverbiū est
fronti nulla fides. Hinc fide, sed cui, vide, Frons ali-
quando pollicetur, quod mens negat : & quod in
illius tribunalī statuitur, in istius, ut ita dicam, sollo
occultur. Ut sis igitur catus, esto cautus, juxta moni-
tum illius :

Ni sit nota fides: ignoto non bene fides.

13. **DIES AUGUSTI.**

Nulli parvus est census, cui magnus est animus.
Leo in. appa. Dom.

Libera- I.
litas.

Liberalitas, (teste Aristotele)
(a) est mediocritas circa pecu-
nias. Vocat mediocritatem,
quod instar Virtutum aliarum
in medio sit, & velut Isthmus per angusta; hinc inde
maria duo, geminosque habeat scopulos, à quibus
revocat animum Virtus : ne labatur vel in Avaritie
fordes, vel in nimiam profusionem, quae est Prodigia-
litas. Versatur autem hæc moderatio circa pecunias,
quod in earum usu, beneficentiae laus omnis occupe-
tur. Tres porro, Liberalitatis sunt actiones: *Accipere, Conservare, Largiri.* Ordior à primâ. Liberalis ac-
cepit opes, ut dicit Aristoteles, unde oportet, de suis,
videlicet, rebus largiri, quia id necessarium, ne Be-
neficienitiae fons exhauriatur, & desit, unde de aliis
benè mereri possit. Hinc benè Seneca de sapiente:

(b) *Non amat divitias, sed mavult: non in animum*
illas, sed in domum recipit: nec respuit possessas, sed con-
tinet, & majorem virtuti sua materiam subministrat
vult. Multi fuere ut sanctmoniā, sic & rerum om-
niū

(a) *L.4. Ethic.c.1.* (b) *De Best. vit. c.21.*

nium abundantiam conspicui, qui tantum opes haberunt ad largitatis materiam, non ad cupiditatis incendium; ut loquitur Chrysologus. Cui assonat Latinus morum Magister: (a) *Apud sapientem virum, in servitute sunt divitiae, apud stultum, in imperio.* Liberales accipiunt pecunias, non ut arcis, velut arcibus includant: sed ut in alios dispergant. Sic opes congregabat Alexander Papa V. qui sic in omnes fuit munificus; ut vix quidquam domi habuerit, quod non in pia opera expenderit. Quare per jocum dicere solebat: se divitem fuisse Episcopum, pauperem Cardinalem, mendicum Papam. Papè, quis hoc non miretur in Papa?

II. Alter Liberalitatis actus, est Conservare. Debet ea conservare non sibi, sed aliis: nec in diligentiam suam ea delabi sinet. In rerum conservationem, quantum fas est, curam animi sui intender: ut laudabiliter eorum usu, sibi, suisque provideat, & quam plurimis gratificetur. Non tamen in minutis rebus tricabitur: vel ob unum, alterumve nummum male dispensatum, ibit in summas, & omnia suisque deque miscebit: quod est propter avaris, sed placidum animi statum retinebit. Dein, in quaerendis opibus non ardorem adhibebit impotentem: non extorquebit vi & fraude pecunias, quo ditior esse possit, & habere quod donet: non vicinos fallet: non terminos praediorum emovebit: non seret lites injustas, nec de corio ludet alieno: quare, si Judex fuerit, vel Advocatus, non vendet jura, quorum debet esse patronus: si mercator, non fraudabit: si tutor, non circumscribet pupillum, quem debet diligere ut pupillam oculi: si miles,

Rr 4

non

(a) *Serm. 28.*

632 *Christiani Militis.* Augustus.
non expilabit domos : si capo, non aquam vino,
miscebit : si Magistratus, non intervertet publicas pe-
cunias, & in domum suam derivabit : denique, si Prin-
ceps, non urinæ vestigia imponet, ut avara mens Ve-
spasiani, nec fiscum aureo, & argenteo sanguine
complebit, non astu quoque ne quid det, utetur, ut
Antigonus, à quo cùm Cynicus peteret talentum, re-
spondit plus esse, quam Cynicum deceret, cùm re-
pulsus peteret denarium, respondit. Minus esse,
quam quod Regem deceret dare. Turpissima est ca-
lis cavillatio. Invenit enim, quomodo neutrū da-
ret, in talento Cynicum, in denario Regem respexit:
cùm posset & denarium Cynico dare, & talentum
tanquam Rex.

III. Tertius actus, est Largitio, quæ maximè est
propria Liberalitatis. Illi igitur, quibus nulla pecto-
ris angustiæ sunt, neque animi parci, ac restricti pa-
simoniâ, ad bene merendum dilatantur, & sua emit-
tunt affluenter. Praeclara est laus, quam S. Fulgentius
Thrasemundo Regi Vandalorum tribuit : (a) Sit
Africano presides moderando regimini: ut magis desideres animi spatia dilatare, quam Regni. Et certè, nul-
la gratior, nec fulgentior dextera esse potest, quam
munificentia, & largitate, ut censet Hildebertus, qui
de Magno Rege loquens (b) *Novit, inquit, Regiam
manum melius donativo splendere, quam sceptro.* Ideo
sapienter dixit Philo: *Beneficentia, sicut Luna, nun-
quam pulchrior appetet, quam cum plena est.* Et Xeno-
phon ajebat : *Esse longè honestius, beneficiorum,
quam trophaorum multitudinem relinquere.* Et
Artaxerxes Longimanus dicere solebat : *Rega-
nus esse addere, quam adimere.* Præstitit hac vir-
tute

(a) *L. 1. c. 2.* (b) *Epist. 3.*

Augustus.

Tessera.

633

tute Alexander Magnus , qui cùm daret civitatem
cuidam dicenti , non convenire civitatem humili
fortunæ suæ , respondit : *Non quero , quid oporteat te
accipere : sed quia deceat me dare.* Cuius autem est in-
tegrum , esse munificum . Nam juxta Tesseram , cui
magnus est animus , illi non parvus est census ; quia
modus pietatis non pendet à mensura rei familiaris .
Licut enim quis habeat multa , alius pauca : non ideo
tamen discrepat fructus operum , ubi non deest affe-
ctus operantium . Denique , dos propria est libera-
lium : (a) *In donando valde excellere* , ait Aristoteles ,
exuberare , & quodammodo fluviorum instar , mu-
nificentiae amore , & studio , ex ea ripa velut difflu-
re : existimare se debere , quod sponte tribuit : nihil
que se præstituisse , nisi in beneficiis suis creverit : mu-
nera oblata spernere , accepta effundere . Tametsi fa-
tear verum esse illud Poetæ :

Qui spernat munus ? non est è millibus unus .

14. DIES AUGUSTI.

Homo , Deum tanti debet habere , quanti est haben-
dus ; tanti verò habendus est , quantus est . *Guigo
in medit. c. 9.*

Religio . 1. **I**ntra virtutes morales , primas occu-
pat , quæ dignitate est prima , Religio .
Itaque dicerem mihi Religioni ; si
cùm tanta sit , præterirem virtutem
Religionis . Dari naturalem Religionis virtutem ,
cùm sit conspirans omnium gentium consensus , est
extra omnem dubitationis aleam . Religio , quâ de
hic agimus , tota occupatur circa cultum Deo de-
bitum .

Rr 5

(a) l.4. Ethic.